

qui continue fideliter se habuit in factis Venetorum in partibus Turisij ei Trapesunde et alibi, fiat sibi quod petit: quod nostri mercatores Veneti dent solum asprum unum sibi de qualibet bestia que ibit Turisium et inde redibit ad Marinam ¹ cum mercantiam, secundum quod debebant Calamazenis² aspros tres; cum conditione tamem quod quandocumque videretur Bajulo Trapezunde et suo Consilio, vel majori Parti, quod non bene et fideliter posterum se haberet, subtrahatur sibi provisio supradicta et privetur eodem, ut sic habeant causam melius agendi.

Captum fuit de Non.

[Libro XV. 18^{to} I].

240.

1337, 1339.

Terminus galearum Cypri et Armenie non possint prorogari, nisi per 6 Consiliarios et Capita et duos partes Rogatorum. 49.

[Indice, I, c. 42].

241.

1339, *Agosto* 7.

Ordine per il viaggio delle Galee d'Armenia.

Modus observandus per ipsas galeas, occasione novitatum Armenie. 65.

Quod occasione novitatum Armenie, Capitaneus galearum et Baiulus Cipri, quando galee ibi erunt, debeant esse simul, et providere et ordinare, si dicte galee debebunt ire in Armeniam vel non. Et sicut eis videbitur, de eundo vel non eundo, sic debeat servari. Et si non possent esse concordēs, vocetur consilium consuetum deinde; et sicut fuerit diffinitum per maiorem parte consilij, sit firmum de eundo silicet vel non eundo in Armeniam;

¹ *Maruzam* secondo Marino, Storia del Commercio dei Veneziani, IV, 172.

² Altrove si scrive *Calamaci*, e significa dragomano.